



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium**

**Brusch, Kaspar**

**Nürnberg, 1682**

Byblingum, Biblingen/ ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38166**

num Joannis, S. Rom. Ecclesiæ Diaconi Cardinalis, 8. Calend. Febr. Indictione septima, anno Dominicæ Incarnationis 1099. Pontificatus autem Domini Urbani secundi, P. P. undecimo anno.

*Byblin-  
gium.*

**BYBLINGUM**, *Biblingen* / cœnobium ordinis D. Benedicti, Constantiensis dioceseos, noni procul ab Ulma, Sœviæ metropoli, in sinistra descendenti in Danubiũ Ileri situm, sic dictum à prætereunte fluvio Bibingo, qui ibi in Ilerum cadit, fundatum ac inchoatum est in honorem S. Martini, anno Domini 1099. ab Othone & Hartmanno fratribus, Comitibus de Kirchberg, religionem Christianam mirifice amantibus Regulis, in ejusdem monasterii templo honorifice sepultis, qui hoc suum cœnobium Pontifici Rom. obtulerunt ac donarunt totum, unde Abbas loci singulis annis ducatum Bisantinum Cameræ Apostolicæ in perpetuam hujus oblationis memoriam numerare cogitur. Dicitur autem monasterium primum inchoatum esse in vicino monte Kirchbergo, ubi primum adhuc templum est satis magnificentum. Iste mons tum latissimus subterfuentis Ileri crebris tempestatibus ita successu temporis diminutus, exesus & vastatus est, ut magna ejus pars in Ilerum deciderit, quæ res occasionem præbuit transferendi cœnobium in proximè adjacentem, & ab Ileri incurfibus paulo tutiorem agrum, in concursu Winii vel Bibingi & Ileri situm; etsi ne ille quidem locus interdum satis tutus sit sæviante fluvio, hibernarum aquarum accessionibus aucto. Est contiguũ penè cœnobii templo sanum D. Virginis. In eo devotæ ac Deo dicatæ sorores, nobilitate cum generis tum virtutum conspicuæ, olim inclusæ habitasse, Deoq; precationibus, jejuniis, ac cætionibus servivisse dicuntur. Harum adhuc in eo ipso cœnobio supersunt nomina, martyrologio inscripta. Habent in eodem monasterio reconditoria ac sepulchra sua omnes penè Comites Kirchbergenses cum liberis & uxoribus suis, quorum insignia parietibus templi affixa & adpicta sunt. Horum brevem catalogum in arboris forma hoc loco subjungere volui, ne intercidat omnino tam vetustæ familiæ memoria.

*Kirch-  
berg.  
Iler flu-  
vius.*

*Comites  
Kirchber-  
geneses.*

*Wilhel-*



Bruchij

Chronologia  
Monasterii  
sua Germani  
S. III

*Wihelms* à Kirchberg, magnus benefactor hujus cerni, obiit anno Domini 1366. Habuit uxorem Dominam Agnetem, Ducissam Decentem, quæ obiit anno Christi 1384. Reliquerunt post se liberos

*Conradum*, Is obiit año Domini 1417. Reliquit duos filios

*Eberhardum*, Episcopus Augustanum, qui obiit anno 1411. Sepelitur cum aliis Byblingæ.

*Conradum* II, qui obiit anno 1470. & ex Anna uxore excepit

*Eberhardum* I, in hac familia Equitem auratum designatum à Friedrico tertio Imp. Hierosolymis juxta Dominicum sepulchrum. Is ex Domina Chunigunde, Comitissa de Wertheim, excepit

*Wihelmum*, Is obiit anno 1478. Excepit ex Dna Anna de Aychhans

*Eberhardum* unicum filium, qui obiit anno 1499. Reliquit post se

*Joannem Eberhardum*, qui obiit anno 1486. *Wihelmum*, Equitem auratum, qui obiit anno Domini 1489. *Philippum*, Itrennum bellatorem & tanta membrorum corporis fortitudine ac robore præditum, ut clavum ferreum solo digito potuerit ligneo parieti infigere. Is ultimus hujus stemmatis ac nominis obiit & sepultus est Byblingæ, cum suis ac totius gentis suæ insignibus, anno Christi 1510. viceima Augusti.

*Philippum*, *Georgium*, *Quintum*, *Ludovicum*, *Joannem*, filios.

*Chunigundam*, *Wihelminam*, *Agnetem*, *Helenam*, *Agnetem*, filias vero 4.

*Conradum*, Is occisus est circa Rhodam in agro, anno Christi 1460. die sabbati ante festum corporis Christi. *Eberhardum*, Equitem auratum, qui obiit anno Domini 1463. *Hartmannum*, qui decessit ex hac morali vita, anno Christi 1470.

De



Literati  
conien-  
tibus  
vind ca-  
re norunt.

De quibus omnibus nihil amplius invenio usquam, adeo negligentibus fuerunt harum rerum non monachi solum, sed omnes eruditi: etsi fortassis non negligentia in causa est, sed iusta odii ac ingratitude retriatio. Cum enim Nobiles non curarent eruditos, ut hac etiam ætate fieri videmus, merito etiam eruditi non laborarunt in rebus ac familiis nobilium, posteritati ac immortalitati commendandis. Quod utinam nostra saltem ætas intelligeret, & essent nobis futuri nostri etiam Nobiles magis propitii. Habent in eodem monasterio sepulturam suam Nobiles viri à Schwenda. Abbates vero, qui à prima fundatione adhuc nostra usque tempora præfuerunt, hi numerantur.

Abbatum  
catalog.

1. S. *Wernherus*, nobilis ab Ellerbach, vir pius & iustus, eligitur in Abbatem Byblingensem anno Christi 1102. Præfuit religiose & utiliter 24. annis. Obiit feliciter anno Christi 1126. Sepelitur in medio ecclesiæ. Fuit antea monachus ad S. Blasium in nemore Hercynio: egregius vero sui monasterii illustrator & ampliator.

- |   |                         |
|---|-------------------------|
| 2. <i>Hermannus</i> primus.                                       | 18. <i>Hartmannus</i> . |
| 3. <i>Hermannus</i> secundus.                                     | 19. <i>Conradus</i> .   |
| 4. <i>Arnoldus</i> .  | 20. <i>Henricus</i> .   |
| 5. <i>Eberhardus</i> .  | 21. <i>Gerungus</i> .   |
| 6. <i>Bertholdus</i> .  | 22. <i>Stephanus</i> .  |
| 7. <i>Hartmannus</i> .  | 23. <i>Hartmannus</i> . |
| 8. <i>Udalricus</i> .   | 24. <i>Erachlinus</i> , |
| 9. <i>Gerwicus</i> .  | 25. <i>Rudolphus</i> .  |
| 10. <i>Conradus</i> .   | 26. <i>Wilhelmus</i> .  |
| 11. <i>Wernherus</i> .  | 27. <i>Richardus</i> .  |
| 12. <i>Geruchus</i> .   | 28. <i>Ulricus</i> .    |
| 13. <i>Richardus</i> .  | 29. <i>Gerungus</i> .   |
| 14. <i>Henricus</i> .   | 30. <i>Conradus</i> .   |
| 15. <i>Eberhardus</i> .   | 31. <i>Gerungus</i> .   |
| 16. <i>Conradus</i> .   | 32. <i>Andreas</i> .    |
| 17. <i>Bertholdus</i> .   |                         |
| 33. <i>Joannes</i> . Horum omnium nuda saltem reperiuntur nomina. |                         |

34. *Udal-*



34. *Udalricus*, sub quo cœpit observantia Regularis anno 1434. & augmentabatur monasterium Byblingense tam in spiritalibus, quàm temporalibus.

35. *Joannes*.

36. *Conradus Rhue* obiit anno 1504. Is apud Romanum Pontificem ornamenta pontificalia obtinuit primus, & hujus loci numeratur primus Abbas infulatus, cujus tumulo adscripti sunt hi sequentes versus, auctore *Martino Mylio*, Wengenfi apud Ulmentes cœnobita.

*Abbatum nervus, monachorum gloria, pulchre  
Virtutis specimen, cum gravitate pudor.*

*Religionis apex: hujus spes unica claustris,*

*Hac qui Conradus Rhue tumulatur humo.*

*Præfultis in Bybling mitram qui fronte bicornem*

*Primus suscepit, corpore, mente probus.*

*Tu modo, qui hac transis, pia Numina flecte precando,*

*Ut repetat tanti spiritus astra patris.*

37. *Martinus Stör* eligitur anno Christi 1504. Præfuit annis quatuor, & año Domini 1508. iterum depositus est, qui diu adhuc superstes, tandem naturæ debitum solvit anno Domini 1542.

38. *Georgius Hackber*, ex superiori Wylerio natus, eligitur anno Domini 1508. Præfuit utiliter annis novendecim. Obiit anno 1527. Sub hoc Abbate anno Christi 1525. seditiosi agricolæ nocte quadam monasterium invadere ac spoliare decreverant: ea ipsa autem hora, qua rustici cœnobium erant adorituri, monachi, talis consilii prorsus ignari, ad matutinarum precum officium omnes campanas in honorem S. Benedicti (cujus festum postero die futurum erat) pulsare cœperunt. Rustici, insolitos campanarum omnium tinnitus & clangores audientes, existimarunt, monachos ab aliquo corycæo admonitos, his campanarum inusitatis pulsationibus Suevici foederis equites in subsidium advocare, quibus cum scirent sese resistere non posse, omnes infecto negotio mox fugam arripuerunt, & ad sua redierunt, nihil amplius adversus cœnobitas & eorum bona tentantes. Sic vaftrum agricolarum consilium pulchre elusum est.

39. *Hen-*

Bybling

Chronologia

Monasterio

in Germania

S. III



39. *Henricus Clausius*, Weissenhornanus, eligitur anno Christi 1527. Præest adhuc currente hoc Jubilæo septuagenarius, latine mediocriter doctus, justitiæ & æquitatis studiosissimus, monasterii sui diligens inspector & illustrator, oconomus strenuus & vigilantissimus.

Sub hoc Abbate, anno Christi 1546. efferuescente Germanico bello, viginti Helvetii impetum facere & armata manu accurrere in cœnobium ausi fuerunt, egregie bibentes & magnis truncis omnes januas effringentes. Monachi mox campanas pulsare & colonorum ita præsidia advocare cœperunt, qui sine mora venientes, Helvetios misere verberarunt, & carceri incluserunt: ubi per dies aliquot sub duris jejuniis detenti, tandem iterum dimissi sunt, facta prius de non ulciscendo conventionem. Hæc communicavit mihi egregie doctus ejus loci cœnobita & prior, versificator ingeniosissimus, *D. Bartholomæus Stella*, patria Isnenfis, qui carmine semper ludere, sed illa, quæ componit, vel in nonum usque annum premere, aut sibi certe tantum ludere solet, ut ille ingeniosus citharœdus faciebat, de quo est apud veterem Poëtam.

*B. Stella  
Poëta.*

.....

**C**ÆSAREA, Germanicè *Kaisersheim* / corrupto autem vocabulo *Keyfsheim*, opulentum, magnificentum, ac longe pulcherrimum Cisterciensium ordinis ac instituti cœnobium, in sylvis Sueviæ, olim *Haidwang* dictis, circa *Donawerdam*, urbem Imperialem, non procul ab eo loco situm, ubi *Lycus* & *Danubius* confluunt, & hodie adhuc in eo maximorum amnium concursu vetus est ac penitus eversum Castrum veterum Comitum de *Lechsmund*, ab ipso *Lyci* in *Danubium* ingressu *Lycostoma* seu os *Lyci* cognominatum, Augustanæ diœceseos, sub visitatione Abbat̃is *Lucellensis*: fundatum est anno Christi 1133. ab *Henrico*, Comite de *Lechsmund* & ejus conjuge, *Domina Loicarde*, quæ illic sepulta est, & unà cum marito in unum tumulum collocata anno 1142. Tumulo inscripti sunt sequentes versiculi:

*Lycostoma.*

*Lechsmund.*

*Hoc*